



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Titulus XLI. De celebratione missæ, sacramento Eucharistiæ & divinis officiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

2. Resp. ad secundum: spectato jure, non potest ab alio reconciliari quam Episcopo loci vel de ejus commissione ab alio Episcopo, ita ut hoc officium ab Episcopo simplici sacerdoti committi nequeat, neque ulla consuetudine (utpote quæ corruptela esset) acquiri, non secus, ac dictum supra de ipsa consecratione, pro ut hæc expressè de reconciliatione dicuntur *c. aqua, 9, h. t.* ubi etiam subjungitur ratio his verbis: *quia licet Episcopus committere valeat, que jurisdictionis existunt, que Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare.* Potest tamen ex commissione & privilegio Papæ ea reconciliatio fieri à simplice sacerdote. *Abb. in c. c. 9, h. t. num. 1. & 8. Barbos, de Off. & potest. Episc. Alleg. 28. num. 64. Azor. l. c. 9, f. 5. Rodriq. qq. reg. Tom. 1. g. 19, a. 6. Pirh. h. t. num. 20, Reiffenst. num. 26. cum communi ex ea ratione, quod, licet Papa non possit potestatem ordini Episcopali annexam ex jure divino v. g. simplici sacerdoti conferendi præbyteratum; Diacono consecrandi corpus Christi; potest tamen alteri concedere potestatem Ordini Episcopali annexam de jure humano, qualis est potestas reconciliandi Ecclesiam pollutam Gl. communiter receptam in *Can. 1. dist. 95. v. concedimus. & Abb. in c. c. 4. aqua. num. 8.* Atque ita hoc privilegium reconciliandi Ecclesias sibi subjectas concessum superioribus ordinis Minorum & per communicationem aliorum Ordinum superioribus, quemadmodum dictum supra de benedictione, quæ vide. Porro; cum, ut dictum, pollutâ Ecclesia polluantur omnia altaria in ea fixa, eadem etiam reconciliatio, qua reconciliatur Ecclesia reconciliari censentur hæc altaria.*

3. Resp. ad tertium: fit hæc reconciliatio asperione aquæ cum vino & cinere, & juxta pontificale Romanum etiam cum sale, benedictâ per Episcopum, ita ut juxta *cit. c. aqua.* non sufficiat à simplici sacerdote, benedictâ; quando tamen & ea sufficiat benedictâ à superioribus regularibus, dum hi ex privilegio benedicunt solenniter aut reconciliant Ecclesias pollutas, dictum est supra, ubi actum de consecratione & benedictione earum, Cæterum facienda est hæc reconciliatio sumptibus illius, qui Ecclesiam violavit, si sciatur, quis sit, & sit solvendo. in defectum hujus recurrentum ad loci consuetudinem vel statutum. his quoque deficientibus spectabit ad Rectorem Ecclesiæ, & si is pauper, ad parochianos ac denique in defectu

horum omnium debet Episcopus eam facere suis expensis. *hc cum Abb. in c. 4. h. t. n. 2. & Barbos. in c. penult. h. t. n. 2. Pirh. h. t. num. 21.*

Quæst. 973. Ecclesia non consecrata nec benedicta, si in ea committuntur, per quæ alias consecrata polluitur, à quo & qualiter reconcilianda?

R Esp. potest talis Ecclesia absque solenni benedictione simpliciter solum autoritate Episcopi deputata ad habenda in eo officia divina tuo modo reconciliari, vel potius mundari etiam citra privilegium aut petitam ab Episcopo licentiam à simplice sacerdote, etiam non regulari, asperione aquæ ab eo benedictâ aut etiam aquæ lustralis communis. *Arg. c. ult. h. t. Abb. ibidem num. 3. Tambur. de jur. Abb. Tom. 1. d. 23. g. num. 11. Lugo. l. c. num. 61. Barbos, de off. & pot. Episc. p. 2. Alleg. 28. num. 17. Præposit. in 3. p. 9. 83. a. 3. du. 2. num. 163. Reiffenst. num. 28. Delb. l. c. f. 10. num. 16. & seq. citatis insuper aliis; & quamvis addat decens esse ut consultum, ut expectetur licentia Episcopi, qui etiam, uti & ejus Vicarius, ob causam aliquam necessitatis dispensare potest, ut in Ecclesia polluta celebrari possit, pro ut docent D. Th. in 3. part. q. 83. a. 3. ad 2. de Lugo num. 63. Avil. l. c. d. 7. d. 3. Suar. l. c. f. 9. dicit tamen bene Reiffenst. debere illam statim etiam irrequisito Episcopo à Rectore Ecclesiæ vel alio Sacerdote dictâ aquâ, etiam communi lustrali, mundari. Porro eadem dicenda de cæmiterio solum autoritate Episcopi deputato ad sepulturam fidelium. *Nav. l. 3. conf. 1. de consecrat. Eccles. Delb. f. 11. num. 3.**

Quæst. 974. quid facere debeat sacerdos actu celebrans, si Ecclesia sub missæ sacrificio polluitur?

R Esp. Si polluitur, priusquam canon cœptus, non debet sacerdos ulterius pergere, sed abstinere; si verò polluitur post cœptum canonem, debet sacrificium prosequi, utpote quod jam censetur inchoatum ab ipsa inceptioe canonis, ita docent Suar. *lit. f. 4. de Lugo, num. 61. Cönnick 9. 83. a. 2. du. 1. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. vers. addendum quartò Castrop. tr. 22. d. unic. p. 8. n. 11. & alii passim.*

TITULUS XLI.

De celebratione missæ, Sacramento Eucharistiæ & divinis officiis.

Quæst. 975. quo loco sacrificium missæ licitè celebrari possit?

1. **R** Esp. primò de jure communi citra necessitatem non nisi in loco sacro, hoc est, in Ecclesiis aliisque locis consecratis, aut saltem benedictis vel saltem legitima autoritate ad cultum divinum deputatis. *Laym. l. c. c. 5. in princ. Sanch. l. 9. de matr. d. 15. num. 24. & 36. Suar. cit. d. 81. f. 3. Ca-*

strop. tr. 22. d. unic. p. 8. num. 1. cum communi & certa juxta can. 1. 12. 25. de consecrat. dist. 1. Trident. sess. 22. in Decreto de celeb. miss. & juxta decretum Clem. XI. editum 15. decemb. 1703. quod per extensum legere est apud Reiffenst. h. t. num. 5. Estque peccatum mortale, extra dicta loca sacrificare citra necessitatem, fuitque etiam olim. ita Sanch. Suar. Laym. Castrop. LL. cit. contra Sotum in 4. dist. 13. a. 3. Sa. v. missa. num. 10. Lopez in instruct. consciens. T. 2. c. 79. censentes non esse

esse id peccatum mortale, si fiat sine scandalo & contemptu loci deputati ab Episcopo ad hoc. non tamen violatores hujus præcepti incurrere ipso facto pœnam suspensionis vel interdicti, contra Sylv. v. missa f. q. 3. §. 5. Henriq. l. 9. cap. 27. motos ex c. Episcoporum de privil. in 6. iustinet Castrop. l. c. num. 3. eò quod, ut idem, cum Suar. d. 81. f. 3. Cœninck q. 83. a. 3. d. 1. cit. c. sermo non sit de celebrantibus extra locum sacrum, sed de celebrantibus aut celebrare facientibus in loco interdicto per censuras Ecclesiasticas. pœna autem depositionis eis imponitur c. nullus presbyter. de consecrat. dist. 1. non ipso jure, sed ferenda ut patet ex textu. Castrop. l. c. in fine.

2. Dixi autem citra necessitatem. hac enim urgente, quilibet extra locum sacrum, etiam sub dio celebrare potest vic. sicut. de consecrat. dist. 1. requiritur autem necessitas magna, ut Laym. l. c. n. 3. Dian. p. 9. tr. 1. resol. 43. Nav. in man. cap. 25. num. 81. Azor p. 1. l. 18. c. 26. q. 2. Sa. V. missa num. 20. quos citat & sequitur Reiffenst. h. t. n. 12. testans de communi aliorum & allegans can. 1. & can. 11. de consecrat. dist. 1. ubi expresse summa vel magna ad hoc necessitas exposulatur; talis autem necessitas adesse videtur in casibus sequentibus, primo dum tempore pestis, belli, persecuti-
onis absque periculo mortis alteriusve gravi mali in locis sacris sacrum legi non potest, tunc enim in domibus privatis id fieri poterit, pro ut id fiebat olim etiam in carceribus, teste Baron, ad annum Christi 303. n. 39. Secundo si Ecclesie diruta, ne populus careat sacrificio, juxta c. Concedimus. de consecrat. dist. 1. & ibi DD. Tertio, Si locus sacer est exiguus, & advenientium multitudinem capere non potest, ne alias plures careant sacrificio. ut Nav. l. c. num. 82. Laym. Suar. Henriq. Cœninck LL. cit. uti ne milites diebus festivis careant sacrificio, in castris sub tentorio aliquò vel sub dio legitur sacrum. item in litore maris, ut navigantes, qui navim deserere non audent, sacrum audiant. Laym. l. c. Castrop. l. c. n. 4. quarto poterit quis sacrificare in altari viatico in longa peregrinatione per loca deserta vel infidelium, ne tam diu careat sacrificio ut Suar. cit. f. 3. Laym. num. 3. Castrop. Sa. Nav. LL. cit. Henriq. l. 9. c. 27. Gutt. q. can. l. 1. c. 30. cum communi, ut inquit Reiffenst. num. 13. posse quoque obeandem necessitatem, ob quam in terra sacrificare licet extra locum sacrum, celebrari in mari aut fluminae, tradit Castrop. tr. 22. d. nunc. p. 8. num. 10. citatis pluribus aliis, & quidem farentur citati AA. in his casibus licere id etiam sine licentia Episcopi ipso jure vel expresse vel per Episcopiam id permittere teste passim vigente consuetudine unde in hoc spectandam & observandam locorum consuetudinem, monent Suar. l. 4. de horis can. c. 10. num. 2. Castrop. tr. 7. d. 2. p. 1. §. 1. num. 5. diuturnam vero infirmitatem numerandam non esse inter casus magnæ necessitatis, ut sine concessione & dispensatione Episcopi coram infirmo ad solatium ipsius missa celebrari possit super portabili in domo seu camera ceteroquin honesta, conveniunt ferè AA. dum in can. illud. 11. de consecrat. dist. 1. dicitur expresse, tutius esse non audire missam, quam in iis locis ubi fieri non oportet, contra quod etsi egerint hucusque aliqui regulares, id tamen eos non fecisse, quia judicarent; hunc esse casum gravis & sufficientis necessitatis de jure communi; sed quia putarent, privilegium suum clausum in corpore juris, celebrandi

ubique, se extendere quoque ad illum casum. quæ tamen opinio penitus modò reprobata sit per cit. decretum Clem. XI. ait Reiffenst. a. 14.

2. Resp. Secundo: Sed & privilegium celebrandi etiam sine licentia in locis quibuscunque, etiam non deputatis ad hoc autoritate Episcopi, concessum olim à variis successivè Pontificibus, ut patet ex: c. 30. de privilegiis. Revocatum esse à Concil. Trid. sess. 22. in decreto de observand. & vitand. in celebrat. missar. non obstant, quod clausum fuerit in corpore juris, hodieum tenere debere omnes ob cit. decretum Clemens XI. asserit Idem Reiffenst. h. t. num. 15. uti etiam num. 8. certum esse ait, Episcopos non tantum posse, sed & debere regularibus omnibus prohibere & mandare, ne præfato privilegio amplius utantur, item posse & debere contra quoscunque contravenientes regulares etiam exemptos procedere tanquam sedis apostolicæ delegatos, pœnasque à Trid. l. c. specificatas infligere, pro ut fieri expresse mandat Idem decretum Clem. XI. qua propter jam nec ipsi Episcopi aut Prælati majores vi illius privilegii amplius celebrare possint pro sola sua commoditate citra necessitatem in domo privata aut camera, ne quidem ad hoc stabiliter deputato, quidem in contrarium sentiat Castrop. tr. 22. d. nunc. p. 8. num. 7. utpote qui scripsit ante cit. decretum Clem. XI. nisi specialiter post Tridentinum à Papa deluper datum privilegium, ut declaratur in cit. decreto Clem. XI. multoque minus concedere aliis ad hoc facultatem ad id ipsum faciendum, ut doceat apud Reiffenst. num. 3. (etiam independenter à cit. decreto, utpote ante quod scriperunt) Dian. p. 9. tr. 1. de orator. privat. resol. 42. allatis pro hoc variis Decretis & declarationibus Barbos. in Trid. l. c. Nav. l. c. Gutt. cit. c. 30. n. 24. & seq. allatis quoque declar. Cardinal. Azor. l. c. l. 10. c. 26. q. 3. & alii communiter juxta Trident. & canones supra citatos, quibus utpote talis à superiore contravenire nequit inferior, nempe Episcopus, proinde his non obstante can. missarum de consecrat. dist. 1. ubi: missarum solemnitas non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis. vel ubi ipse permisit celebranda censemus. siquidem hic canon solum vult posse celebrari in locis non consecratis, ubi id iusserit vel permisit Episcopus, deputando nimirum illum locum ad cultum divinum, aut eum benedicendo vel ob casum urgentis necessitatis, quæ & dato facultatem hanc libere permittendi celebrationem in quocunque loco iis olim concessam, ea tamen modo iis adempta per Trid. pro ut sæpe declaravit S. Congreg. Cardinal. uti testantur cit. AA. uti etiam dictam facultatem concedendi licentiam celebrandi ubique citra necessitatem Episcopis ademptam per Decretum Pauli V. & Urbani VIII. de quo Dian. l. c. Pottel. in respons. regular. Tom. 1. p. 3. cas. 30. num. 1. qui etiam testentur, ut ait Reiffenst. cit. num. 4. revocatum ab Urbano VIII. decretum aliud Pauli V. editum anno 1618. 30. Julii. vi cuius Episcopi ut delegati Apostolici possent concedere dictam licentiam limitatam tamen certis conditionibus quas vide apud Reiffenst. num. 4. in fine. Porro quæ ad enervandum allegatum decretum illud Clem. XI. ab aliquibus obmoventur, nimirum, quod de eo authenticæ & legitime non constat, quod non sit sufficienter promulgatum, quod nec ab Episcopis nec ab aliis sit usu receptum &c. sufficienter respondet Reiffenst. à n. 9. quem vide. quamvis in favorem Episcoporum addat num. 15. addat sequenti

quentia, nimirum primo, quod in iure ordinatio in casibus frequenter occurrentibus, in quibus dubitatur, num necessaria sit dispensatio dispensare possint, secundò, quod possint dispensare, ut in supra dictis locis celebratur, dum talem dispensandi consuetudinem legitime præscriptam habent, qualis saltem in hisce partibus vigere videatur, ut ei in citato 3. decreto derogatum non appareat, ut proinde, licet ordinariè & regulariter non possint Episcopi licentiam concedere celebrandi in dictis locis; possint tamen pro consolatione infirmi nobilis, aut ex simili causa rationabili iuvante tali consuetudine, dictam licentiam dispensando concedere, quod ipsum tanquam probabile teneat Dian. p. 1. tr. 1. resol. 43. Hurtad. d. 4. de sacrific. miss. difficult. 6. Ita timide Reiffenst. cum in fine cit. n. 15. subjiciat, se post memoratum decretum nihil in hoc audere decidere, sed decisionem prudentium ac præcipuè S. congregationis iudicio relinquere.

3. De cætero non obstantibus hæcenus allegatis Decretis posse adhuc hodièdum regulares vi privilegiorum suorum habitum aliàs habere in propriis monasteriis privata oratoria & capellas domesticas, ibique & in cameris & cellis, ubi infirmus frater decumbit, missam celebrare, docent Dian. p. 9. tr. resol. 32. Sporer in Theol. Sacrament. p. 2. c. 6. n. 440. Azor. Tom. 1. l. 10. c. 26. q. 9. Pelliz. Tom. 2. tr. 8. c. 5. n. 65. quos citat & sequitur Reiffenst. h. t. n. 19. cum, ut ait, communi, ex ea ratione, quòd quò ad hæc loca non sint revocata privilegia religiosorum per Trid. sess. 22. lo. utpotè ubi tantum videntur revocata eorum privilegia celebrandi in privatis domibus atque omnino extra Ecclesiam, cujusmodi loca non sint oratoria vel etiam cameræ aut cellæ monasteriorum; cum non sint domus privatae aut etiam omnino extra Ecclesiam, quippe cujus nomine veniunt etiam claustra religiosorum. Arg. c. 22. §. quòd autem, dist. 54. §. c. 24. §. ad iocimus de sent. in 6. & ibi Gl. v. monasterius. Et dato, tale privilegium revocatum à Tridentino, tamen post Tridentinum illud quoque concessum à Gregor. XIII. & Paulo III. Societati Jesu & per consequens vi communicationis privilegiorum aliis regularibus, ut videre est in compend. privil. societ. v. altare. pro ut etiam verbotenus refertur à Reiffenst. n. 20. explicaturque à Castrop. l. c. & allegatur quoque à Pelliz. & Dian. LL. cit. Lezan. Tom. 1. c. 21. n. 14. Rodriq. Tom. 1. q. 43. a. 4. & aliis. Item à Pio IV. concessum Canonice regularibus, ut possint in iisdem locis suorum monasteriorum celebrare super altare portatili teste Lezan. Dian. Peirin. apud Reiffenst. lo. nec quicquam his privilegiis derogatum per Decretum Clem. XI. utpote quod non afficit privilegia post Trid. concessa sed solum declarat & decernit, quæ privilegia per Trid. revocata. Quod si etiam loca illa, ad quæ se extendit dictum privilegium à superioribus regularibus (qui secundum dicta id possunt) benedicta sunt & unice ad cultum divinum deputata, posse in iis celebrare sacerdotes sæculares & laici (qui aliàs audiendo missam in loco privato, in quo ex speciali Pontificis privilegio celebratur non satisfaciunt præcepto Ecclesiastico; de quo tamen vide Reiff. n. 18.) missas audire & satisfacere præcepto, non tamen in camera aut cella privata alicujus religiosi, ed quòd dicta camera non sit benedicta, aut à superiore religioso ad cultum deputata divinum deputata. Reiffenst. n. 21.

R. P. Jur. Can. Lib. III.

Quest. 976. an, quoties, & quo iure teneantur celebrare missam Parochi pro suis parochianis?

1. Resp. in hoc non convenire AA. dum Laym. l. 5. tr. 5. c. 3. n. 3. Suar. Navar. & alii apud Reiffenst. h. t. n. 22. tenuerunt, parochum vi officii nunquam teneri missam applicare illis, sed satisfacere, si missam legat iis diebus, quibus populus eam audire tenetur, etiam ad aliam intentionem aut pro stipendio accepto eam applicet alteri. E contra cum Barb. in Conc. Trid. ad sess. 23. de reform. c. 1. n. 4. & de offi. & potest. paroch. p. 1. c. 21. n. 10. sentiunt alii, teneri parochum aliquoties ad arbitrium boni viri celebrare pro parochianis. Verùm hodièdum post varias desuper factas declarationes Cardinalium Concilii Tridentini interpretum (quæ, num jus & legem faciant, quâ promulgatione, ut obligent egeant, vide apud me ad lib. 1. decretal. q. 24. §. 154. uti & quæ contra earum auctoritatem obijciuntur, diluta apud Reiffenst. h. t. n. 23) constat parochos omnes & singulos iure divino teneri pro parochianis offerre missæ sacrificium cum hac distinctione, ut, qui habent redditus pingues (quales habere censentur non tantum, qui abundant, sed etiam qui non consideratis considerandis omnibus sufficientissime habent, & quibus pro honesta sustentatione nihil omnino deest, etsi iis post factas in hanc impensas parum aut nihil superest. ut Reiffenst. n. 22.) missam quotidie pro suis parochianis offerant, quòd multò magis censendum de iis parochis, qui redditus abundantes & amplissimos habent, ita ut, si quotidie non dicant sacrum pro parochianis, sed intentionem ad alia applicent, aut etiam stipendia pro illis accipiant, graviter delinquant, & in conscientia secuti non sint. Reiffenst. n. 20. qui verò habent redditus tennes (quales censentur, qui non, vel vix sufficient ad honestam sustentationem) teneantur saltem diebus festivis celebrare pro parochianis, non etiam pro aliis, cum etiam jus divinum permittat illis, aliis mediis licitis. V. g. accipiendo stipendium seu Eleemosynam pro missis votivis, honestam sustentationem quærant, pro ut hæc sumuntur ex Decret. S. congregationis, cujus tenorem recitat. Reiffenst. n. 22. uti & speciale decretum Urbani VIII. continens declarationes ad dubia super prædicto Decreto S. congregationis factas. quod incipit: cum sepe contingat &c. & habetur in Bullario Cherub. Tom. 4. const. 45. Eiusdem Pontificis.

Quest. 977. an, qualiter, & quarum missarum numerus quando, & à quo ad minorem numerum reduci possit?

1. Resp. ad primum quemadmodum, dum quandoque in Ecclesiis tam sæcularibus quam regularibus missarum annuatim, singulis mensibus vel hebdomadis dicendarum à fundatoribus vel benefactoribus magnus institutus est numerus, cui tamen ex relictis pro eodem implendo satisfieri potest, nihil sine interventu auctoritatis Apostolicæ mutandum aut omittendum esse, sed sine ulla diminutione ac reductione præstanda ac celebranda, omnia anniversaria & missas, indubitarum, est idque etiam, si pro iis relictæ pecunia sufficiens, quæ dein versa in Ecclesiæ vel monasterii, quæ onus ea præstandi in se suscepit, utilitatem. Wiestn. h. t. n. 73. Ita è contra indubitarum quoque est, posse ea ad minorem numerum reduci, dum relictæ pro iis vel ab initio donationis fuerunt valde tenuia aut hodiè insufficientia sunt, aut evalere talia, mutatis temporum, perfo-

Uuuu narum

narum aut rerum circumstantiis, ut nulla Ecclesia sit quæ eorum intuitu tale anniversaria missas aliaque officia celebrandi onus velit aut possit subire. Et quidem, si pro certarum missarum aut anniversariorum celebratione relicta certè constet, nulla Ecclesiæ vel Monasterii sive prælati & capituli seu conventus culpa ex toto periisse, ut eorum intuitu nihil percipiatur, Ecclesiam & monasterium eo ipso ab iis præstandis liberari, docent Riccius *inprax. p. 3. resol. 364.* Bardon. *Consil. p. 1. resol. 25.* Pelliz. *in man. Pralat. Tom. 2. tr. 6. c. 3. n. 46.* Donat. *pr. regul. Tom. 3. tr. 7. p. 60. n. 1.* quos citat & sequitur Wiestn. *b. t. n. 70.* sed & licet de totali relictorum interitu non constet, constet tamen quòd ad insufficientiam redacta, aut ab initio talia fuerint, esse locum reductioni, indubitate supponitur, tum in *Clem. 2. de relig. domib.* tum à Synodo Trid. *sess. 22. c. 6. de reformat.* cujus verò in eo casu autoritate, hæc reductio fieri possit mox dicetur.

2. Resp. ad secundum: hæc reductio ob relictorum insufficientiam fieri potest variè nimirum coniungendo duo tria, ita tamen, ut in anniversario vel missa, cui alia accessoriè adjuncta sunt, eorum benefactorum, quorum adversaria & missæ aliis adjunctæ, omnium commemoratio fiat juxta præscriptum Trid. *lc. c. 4.* ut ibi Barbos. *Castrop. tr. 22. disp. unic. p. 15. n. 4. in fine.* alique passim, aliqua officiorum anniversariorum reducendo in totidem missas, vel in unum alterumve anniversarium singulis mensibus, vel in unam alteramve missam generalem singulis hebdomadis pro benefactoribus, pro quibus aliàs anniversaria & missæ in particulari fiunt, celebrandam. ut cum Ugol. *de off. Episc. c. 61. n. 1.* Moneta *c. 5. n. 367.* Barbos *in cit. c. 4. Trid. n. 4.* Wiestn. *b. t. n. 76.* ubi etiam citatis pro hoc Monet. *n. 369.* & Fagn. *in c. 12. de const. n. 34.* testante sic declaratum à S. Congr. Cardin. nobat, anniversaria aliaque officia divina in hoc casu commutanda potius in missas, quàm hæc in anniversaria seu alia pia opera, ex ea ratione, quòd defunctorum in purgatorio detentis animabus plus prosint sacrificia missæ, quàm alia divina officia & pia opera juxta D. Th. *in 4. dist. 45. q. 2. questiunc. 2.*

3. Resp. ad tertium excipiuntur tamen & reductionem ad minorem numerum non admittunt anniversaria, missæ aliaque onera & obligationes, pro quibus subeundis Ecclesiæ relicta sunt bona immobilia annuos fructus vel census producentia vel pro ejusmodi bonis cõmendis certa & sufficiens pecunia data dum illa à Prælati cum consensu Capituli seu conventus in alios Ecclesiæ vel monasterii conversa pro utilitate & necessitate ejusdem, quia tunc pro anniversariis & missis illis perpetuò celebrandis necessaria onus substituendi fuisse censetur Ecclesia. ita Wiestn. *b. t. n. 73.* quæ tamen exceptio subsistere non videtur, si ea ipsa bona vel pecunia imminuta aut deperdita, & Ecclesia non habet, unde substituat & subministret alia. Item reduci non posse anniversaria, missas aliaque onera, quæ Ecclesiis, monasteriis, altaribus ab eorum fundatoribus imposita in limine foundationis cum Garcia *de benef. p. 7. c. 1. n. 131.* Monet. *de commut. ult. vol. c. 5. n. 376.* Jordan. *Lucubr. vol. 1. L. 4. lit. 1. n. 580.* astruit Wiestn. *n. 74.* ex ea ratione, quòd horum reductio & commutatio permilla non sit à Trid. *cit. c. 4.* utpote quod loquens tantum de impositis & relictis a testatore aliave benefactore extra fundationem, & *sess. 25. c. 5.* expressè vetet qualitibus & oneribus in fundatione adductis, quacunque dispositione superveniente derogari, pro ut declara-

à s. congregatione testantur, *cit. AA.* sed quid, si etiam ex fundatione relicta perierunt? ac denique neque reductionem anniversariorum, missarum aliorumque onerum ultima voluntate aliave quacunque dispositione impositorum Ecclesiis, monasteriis &c. post concilium Trident. ab eodem permillam juxta declarationem S. congregationis de 7. Februar. 1573. perhibent Dian. *p. 8. tr. 4. resol. 2.* Mirand. *Tom. 1. man. pralat. q. 4. a. 24.* Barbos. & alii apud Wiestn. *n. 75.* qui tamen ait, non satis de illa declaratione constare, ideoque hanc exceptionem neque certam, neque conformem decreto Trid. *cit. c. 4.* differtè pronunciat à Garc. *lc. n. 132.* & à Gobat. *Experient. Theolog. tr. 3. 591.* non esse usu receptam, saltem in germania.

4. Resp. quarto: summum pontificem, tanquam supremum Ecclesiæ gubernatorem, ob plenariam & generalem de rebus & bonis spirituales animarum salutem concernentibus disponendi potestatem posse anniversaria & missas Ecclesiis monasteriis, altaribus, capellaneis, beneficiisque aliis, tam in fundatione, quàm per ultimam voluntatem seu testamentum aliãve dispositionem impositas ex rationabili causa ad minorem numerum reducere, ac ita etiam hac reductione stipendium abundantius, quàm quotaxata sunt, assignare, determinareque, quòd pro qualitate temporum, personarum, & circumstantiarum stipendium missarum sit iustum, esse constantem omnium sententiam asserit Castrop. *lc. n. 2.* ubi etiam cum Suar. & Henriq. quòd, Si quandoque Pontifex ob paupertatem sacerdotis vel aliam causam sibi visam rationabilem abundantius stipendium, quàm aliàs a quitas postulet, designet, & missarum numerum reduci credendum sit, ullo ex thesauro Ecclesiæ offerre & applicare quicquid virtute sacrificiorum obtinendum esset. Uædetiam hoc modo non defraudandos defunctos fructus sacrificiorum debitorum, dum hac ratione per applicationem indulgentiarum fructum illum compensari posse, ait Idem *n. 4. in fine.* Possè quoque Episcopos spectato jure communi ex rationabili causa (qualis esset, si numerus religiosorum monasterii, cui incumbunt, esset diminutus monasterii redditus extenuati, vel expensæ majores faciendæ in anniversaria, ut Azor. *3 p. L. 16. c. 6. q. 5.* Fraxinel. *de oblig. Sacerdot. sess. 7. §. 5. n. 3.* Barbos. *de potest. Episc. p. 2. alleg. 29. n. 3.* apud Castrop. *lc.*) reducere missas impositas Capellanis & beneficio, etiam absque eo, quòd ad hoc egeat consilio Synodi diocesanæ, docet Castrop. *lc. n. 4.* quamvis addat non posse hoc Episcopos extra Synodum diocesanam, quo ad missas in fundatione impositas beneficio ex potestate illis concessas à Trid. sed si eã potestate uti velint, debere & id facere in dicta Synodo, pro quo citat Bonac. *d. 4. de sacram. q. ult. p. 7. n. 10.* Barbos. *lc. n. 10.* contra Henriq. *L. 9. c. 1. n. 132.* & Mirand. *lc. q. 41. a. 12.* Verùm loquendo de oneribus missarum impositis Capellanis beneficio ex fundatione, ne quidem in Synodo eas ab Episcop. reduci posse sed pro earum reductione recurrentum ad Papam, tradunt Gravanus *in man. Episc. V. missa n. 55. & 56.* Fagn. *in c. significatum de prob. n. 15.* Tambur. *de sacrif. missæ §. 1. c. 2. n. 1. & 2.* Dian. *p. 2. tr. 14. resol. 1.* Homobon. *in exam. Eccles. p. 1. tr. 4. c. 14. q. 129.* ex ea ratione quòd Concil. Trid. *lc.* concedens Episcopis potestatem reducendi missas in Synodo, loquitur tantum de magno missarum numero ex variis defunctorum relictis imposito Ecclesiæ, ut sunt missæ & anniversaria defunctorum, & non de missis impositis beneficio in limine foundationis. Possè etiam ex privilegio con-

concesso à Leone X. & Sixto IV. ex justa causa reducere missas, Abbates & Rectores unâque missâ satisfacere pluribus obligationibus, hanc tamen reductionem jam fieri non posse à prælatis ordinum mendicantium, nisi in capitulis provincialibus aut congregationibus juxta Trid. sess. 25. c. 4. cum citato à se Rodriq. 99. reg. Tom. 1. q. 43. à 13. tradit Castrop. *lc.* Nullatenus verò posse fieri istiusmodi reductiones vel taxationem Stipendorum pro missis à Regibus eorumve Ministris et quòd id maximè spectet ad spirituale Ecclesiæ potestatem, docet Castrop. *n. 6.* contra Fagundez de primo precepto, 3. c. 7. r. 6. cujus rationes non magni momenti facile refutat Castrop. *lc. n. 7.*

Cætera quæ ad celebrationem missæ, uti &, quæ ad Eucharistiæ Sacramentum spectant, quia à Theologis tam scholasticis, quàm moralibus copiosè & accuratè passim tractantur more plurimum canonistarum consultò præterimus. de officio quoque divini (quo nomine hic veniunt septem horæ canonicæ quæ definitis horis in cho. o publicè vel privatim à clericis & religiosis ex Ecclesiæ apostolicæ sedis perverusta institutione quotidie recitantur, vix aliud à canonistis examinari solet, quàm quod sequitur.

Quæst. 978. quinquam ad horas recitandas astringantur.

Resp. breviter fusiore hujus tractationem relinquendo summulstis, primò ex præcepto Ecclesiastico ea recitari debent quotidie publicè à personis choro deputatis, tam in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis secularibus, quàm regularibus; imò & parochialibus, pro ut sumitur ex *can. fin. dist. 42. c. 9.* Clem. 1. *h. t.* quamvis ab eo rigore juris paulatim recessum ita ut hodie in pluribus eorum non nisi diebus festis cantentur vel recitentur; quin & in multis parochialibus ob paucitatem ministrorum, aut stipendii tenuitatem omittentur.

2. Secundè ad horas recitandas quotidie privatim astringuntur in ordine aliquo sacro constituti etsi careant beneficio, & ad chorum deputati non sint, sumitur ex *c. 1. & c. dolentes*, & consuetudine generali Ecclesiæ, neque hac obligatione liberantur irregulares, depositi, degradati, aliave censurâ interdicti, ut *Wiestn. h. t. n. 39.* non tamen dicta obligatio contrahit per susceptionem ordinum minorum.

3. Tertiò tenentur ad horas constituti tantum in minoribus, si beneficium aut dignitatem ecclesiasticam habent; cum detur beneficium propter officium, sumitur ex *cit. c. fin. & c. 1. de rescript. in 6.* qui si saltem post sex menses à beneficio accepto non recitantes horas, fructus suorum beneficiorum, non tamen curæ alterivè muneris spirituali juxta benigniorem *Lessii l. 2. de Inst. c. 39. n. 177.* & aliorum opinionem correspondentes, pro rata omissionis officii & temporis amittunt, & tanquam injustè perceptos in ecclesiæ fabricam aut pauperes erogare tenentur. Porò extenditur responsio ad beneficiatos, primò etsi habeant non nisi beneficium tennè, cujus redditus ad modoratam sustentationem insufficientes, ut cum communiore tenent. *Sylv. v. hora q. 2. Navar. de orat. c. 7. n. 27. Suar. lc. c. 2. l. n. 1. & 9. Covar. L. 3. var. c. 13. n. 8. Laym. lc. n. 3.* alique relati à *Barbos, in c. dolentes h. t. n. 4.* contra sortum, liberantem eos penitus ab horis, & testium. *lc. c. 34. n. 169.* astringentem eos ad horas diebus tantum festis & dominicis, estque ratio, quòd tenui à beneficiis sint adhuc vera benefi-

R. P. Leurr. Jur. Can. Lib. III.

cia, & dicta obligatio à conc. Lateran. & Pio V. generaliter imposita beneficiatis, postique Ecclesiæ eam imponere; cum etiam constitutis in factis ordinibus nullos fructus percipientibus illam imponat, quibus non obstantibus, censent aliqui non damnamandam consuetudinem, vi cuiusalicubi beneficia tenuia sine obligatione ad horas conferuntur clericis si saltem ratione illorum obligentur ad servitium spirituale; secus, si ad nullum tale servitium teneantur, eò quòd tunc non sint verè beneficia quippe quæ non dantur, nisi propter officium *Wiestn. n. 60.* Extenditur secundò ad eos, qui beneficium habent sine possessione, si per eos stet, quòd minus eam habeant, item ad eos, si, etsi non stet per eos illam non habere, sit tamen certa spes eam obtinendi & sic percipiendi fructus, secus si spes illa exigua & incerta; cum non sit satis æquum imponi illis onus hoc horarum propter spem dubiam. ita *Garc. p. 3. de benef. c. 1. n. 10. & 102. Azor. lc. c. 4. n. 7. Suar. lc. c. 19. à n. 9. Wiestn. n. 61.* Extenditur tertio ad eos, qui quidem possessionem beneficii habent per eos tamen stet, quòd minus fructus beneficii percipiant, quia v. g. excommunicati, suspensi, aut à loco beneficii abentes sine justa causa, vel præsentibus sine justa causa ei nunquam defervunt, secus, seu ad horas non tenentur, si sine sua culpa v. g. fraudè aliove modo injusto à fructuum consecutione aliquot annis sine ulla spe eos postea recipiendi impediuntur; eò quòd pro illo tempore beneficium habeant quo ad nudum titulum & nomen, non etiam quo ad effectum *Nav. lc. c. 7. n. 8. Garc. n. 45. Less. n. 168. Wiestn. n. 62.* Extenditur quartò ad eos, qui primi vel secundi anni fructus ex consuetudine Ecclesiæ non percipiunt, dum hi fructus reservantur ad eorum defunctorum sepulturam vel ad solvenda eorum debita, dum vel sic hi fructus impendendi ad eorum utilitatem ab eis percipi videantur, ita probabiliter *Azor. q. 4. Garc. n. 66. Less. n. 170.* Idem sentiunt *Azor. Less. Suar. lc. c. 20. n. 7.* dum illi fructus primis annis subtracti novis canonicis ex consuetudine cedunt antiquioribus ad eorum vitæ & dignitatis convenientem sustentationem augendam, eò quòd & ipsi postmodum tali cessione fruuntur, dum evadunt antiquiores, quæ consuetudo etsi reprobetur à *Johanne XXII. in Extrav. suscepti de elect. & à Pio V. in const. edita 1. jun. 1570.* & incipit, *durum.* eam tamen se non audere reprobare saltem dum immemorialis est, inquit *Wiestn. cit. n. 2.* eò quòd illæ constitutiones non in omnibus Hispaniæ Ecclesiis sint receptæ & reprobatione generali consuetudinis non censeatur comprehensa immemorialis.

4. Quartò tenentur Clerici præstimoniam suam seu præstimoniales portiones ab Ecclesiasticis redditibus detrahas habentes, saltem, ut cum *Rebuff. de pacif. possess. n. 105. Laym. L. 4. tr. 2. c. 5. n. 6. Wiestn. n. 51.* ubi ea in titulum perpetuum conferuntur, annexumque habent obsequium aliquod spirituale, quod per laicum expediri nequit; quia talia quocunque nomine veniant, beneficia sunt Ecclesiastica; secus est de præstimoniis, quæ ob aliam causam, quàm obsequium spirituale v. g. ad studiorum prosecutionem, vel tanquam stipendium sustentationis conceduntur. ut *A. A. iidem.*

5. Quinto idem est de Capellanis dum eæ etiam ex laicorum patrimonio autoritate Episcopi erectæ, ab eodem ad nutum illius auferibiles; cum revera beneficia sint ecclesiastica, saltem manualia, aquæ idem juris & oneris

oneris habent exceptâ p̄peruitate ita Laym, l. c. n. 7. Azor. p. 1. l. 10. c. 3. q. 2. Wiestn. n. 52.

6. Sexto tenentur Vicarii perpetui; cū tales Vicariæ vera sint beneficia juxta c. 27. *descript.* secus est de Vicariis temporaneis, qui ratione Vicariæ ad horas non tenentur, quia beneficii solum custodiam & administrationem ad tempus, non verò titulum habent. Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 6. n. 62.* Suar. *lc. c. 22. n. 15.* dantur tamen & casus, in quibus hi Vicarii temporales ad horas tenentur, ut dum speciatim deputati ad officium canonicum vice alterius in choro canendum; Si eis plena administratio beneficii ex autoritate & consensu Episcopi, etsi ad tempus & amovibiliter concessa; cū tunc ex tacita conditione & pacto committi censetur, ut omnia officia præstet, si nimirum principalis, cujus Vicarium agit, officium non perfolvat. V. g. dum eis commendatur beneficium, cujus beneficiatus puer est, nesciens orare, donec adolescat, aut parochus, ut qui ob incurabilem infirmitatem beneficio præse nequit. Item si beneficium unitum monasterio autoritate Episcopi committatur alicui vicario, quamvis ad nutum amovibiliter. ita ego *in foro benef. p. 1. q. 137.* juxta Suar. & Barbos. *LL. cit.*

7. Septimò tenentur ad horas habentes beneficium in commendam perpetuam; eò quod tales commendæ spectent utilitatem eas habentium, qui licet careant beneficiorum commendatorum titulis, integram tamen habeant administrationem, & integrè fructus percipiant: secus est de habentibus temporaneas, utpote spectantes utilitatem Ecclesiæ, ejusque custodia concedatur ad tempus v. g. usque dum persona idonea instituat, sineque obnoxie reddendis rationibus fructuum perceptorum juxta Gl. *in c. nemo, de declaratione in 6.* & ita tenent Azor. *lc. q. 6.* Laym. n. 7. Castrop. *lc. p. 1. §. 2. n. 4.*

8. Octavò Coadjutor datus Episcopo habens administrationem Ego *lc.* cum citatis à me: secus est de Coadjutore etiam cum futura successione, & cui assignata portio aliqua reddituum, utpote quæ fructibus beneficii subtracta cedit coadjutori tanquam stipendium laboris, quem subit pro coadjuto, ex ea etiam ratione, quòd talis coadjutor non habeat ipsum beneficium, sed solum jus in eo succedendi eo coadjuto defuncto. Et quòd ratione unius beneficii non duo, sed unus solus, nempe proprietarius illius teneatur ad horas, & ita docent Suar. *cit. l. 4. c. 22. n. 19.* Nav. *in man. c. 20. n. 18.* Azor. *cit. c. 4. q. 1.* Garc. *p. 3. c. 1. n. 109.* Castrop. *lc. §. 2. n. 7.*

9. Nonò ad horas recitandas quotidie publicè in choro vel privatim tenentur regulares professi utriusque sexus ex instituto suæ religionis ad chorum

deputati, etsi nullo ordine sacro initiati; non tamen vi alicujus canonis Ecclesiastici, sed tum ex regula sua, tum ex consuetudine. Estque hæc obligatio gravis seu sub mortali respectu religiosorum utriusque sexus, ut probabilis sentiant Suar. *lc. c. 17. n. 19.* Sylv. *v. hora. q. 2.* Nav. *lc. c. 7. n. 5.* Wiestn. n. 66. & alii allegantes pro hoc communem sensum fidelium ipsorumque religiosorum apprehendentium graviter omissionem horarum, tum consuetudinem, quæ cum sit in materia gravi, utpote concernente proprium eorum statum & institutum qui est orare & laudare deum, meritò continere vim legis graviter obligantis censetur. Extenditur hæc obligatio gravis recitandi horas privatim ad absentes ex choro AA. *cit. contra Cajetan. in sum. v. hora casu 14.* Bordon. *p. 1. resol. 30. n. 3.* Item ad eos qui de licentia superiorum extra monasterium degunt studiorum vel negotiorum causâ quin & ad fugitivos & ejectos, ne hi ex malitia sua commodum referant, & sit melior eorum conditio quam aliorum, qui de licentia superiorum ex causa honesta versantur extra Monasteria, quamvis non improbabiler contrarium de ejectis ad tremeas condemnatis, ad quòd hi, etsi per hoc non destinati esse religiosi, ad statum tamen non deputationum choro reducti videantur, tradunt Bonac. *de horis d. 1. q. 2. p. 2. n. 3.* Sotus & alii. Dixi tamen: *choro deputatis*; quales quia non sunt novitii, Fratres laici seu conversi religiosi Equites ex professione sua non deputati choro sed militiæ. Idem religiosi Societatis Jesu ex suo instituto non additi choro, non astringantur ad horas priusquam sacris ordinibus initiati.

10. Decimò resignatium ad recitandas horas teneri statim post collationem beneficii resignati, tradit Nav. *tr. de horis can.* eò quòd ex inde, etiam ante captam possessionem, obveniat illi ius in beneficio & dominio. Contrarium tenente Parisio *de resignat. l. 1. qq. n. 16.* de quo vide me *in foro benef. p. 3. q. 249.*

11. Undecimò ad horas recitandas vel decantandas tenentur canonice sæculares ex lege fundationis, de quo & aliis eas concernentibus vide me *in foro benef. p. 2. q. 922.*

12. Denique quòd attinet pensionarios, hi quæ tales non tenentur ad recitandas horas canonicas, ut cum communiore tenent Azor. *p. 2. l. 8. c. 12. q. 2.* Barb. *juris eccles. l. 3. c. 11. n. 11.* Garc. *de benef. p. 1. c. 5. n. 65.* citans quam plurimos alique quos citavi pro hoc *in foro benef. p. 3. q. 537. n. 1.* contra Gambar. *de potest. legat. l. 6. n. 326.* an verò, & qui eorum teneantur ad recitandum officium parvum B. Virginis vide apud me *lc. n. 2.*

TITULUS XLII.

De Baptismo ejusque effectu.

Quest. 979. quæ sit materia & forma baptismi?

1. **R** Esp. ad primum primò: materia illius remota est aqua naturalis seu elementaris, sive sit fluvialis, sive fontana, pluvialis, marina, sive calida, sive frigida, pura vel turbida, apta ad abluendum, etsi inepta ad bibendum, qualis quia non est aqua rosea similesque expressæ ex floribus, fructibus, herbis, urina, saliva, lacrymæ, sudor, etsi apta ad abluendum;

item aqua constructa in glaciem, nivem, etsi quòd ad substantiam naturalis & Elementaris, in iis collatus Baptismus cerò invalidus est. Suar. *in 3. p. d. 20. f. 2. n. 5.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 3. n. 1.* cum communi, materia dubia est cerevisia & juscula bene decocta; cū secundum communem existimationem & usum non censentur aqua elementaris D. Tho. *p. 3. q. 66. a. 4.* quorum usum in extrema necessitate non esse illicitum censet Coninck. *p. 3. q. 66. n. 4.*

2. Resp.